

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Saint-Dié, Bibliothèque municipale (F-SD)  
Ms. 42, f. 119r-120v  
Transcription : Christian Meyer  
(mai 2006 – rév. nov. 2017)

119ra

<sup>1</sup> Proportio est habitudo duorum terminorum adinvicem vel distantia duorum terminorum inter se. <sup>2</sup> Pro quo notandum est quod 5 sunt genera proportionum, sc. multiplex, superpartiens, superparticulare, multiplex superpartiens et multiplex superparticulare.

<sup>3</sup> Multiplex genus est quando maior numerus continet in se minorem numerum bis, tel vel quater, etc., et habet multotiens species, scilicet duplam, triplam, quadruplam, quincuplam et cetera.

<sup>4</sup> Prima species multiplicis est proportio dupla, que fit quando maior numerus continet in se totum minorem dupliciter sicut sunt duo ad unum : 4/2, 6/3, 8/4. <sup>5</sup> Et dicitur dupla quia dupliciter continet maior numerus minorem. Sub qua proportione diapason consonantia continetur.

119rb

<sup>6</sup> Secunda species multiplicis est proportio tripla, que fit quando maior numerus continet minorem ter, ut sunt 1 tria ad unum, sex ad 2, 9 ad 3, 12 ad 4. <sup>7</sup> Sub qua proportione diapason diapente consonantiam continetur etc.

---

<sup>5</sup> dicitur dupla] dicitur diapason dupla *ante corr.*

<sup>8</sup><T>ertia species multiplicis est proportio quadrupla, que fit quando maior numerus continet in se totum minorem [in se] quater sicut 4 ad 1, 8 ad 2, 16 ad 4. <sup>9</sup>Sub qua proportione bisdiapason consonantia consistit. Et eo modo procedendo cetere species huius primi generis possunt haberi infinitum.

<sup>10</sup><S>uperpartiens genus est quando maior numerus continet minorem in se totum et insuper eius aliquas partes, sc. duas, tres vel quatuor et habet species suas, sc. bipartientem, tripartientem, quadripartientem.

<sup>11</sup>Prima species superpartienti generis est proportio superbipartiens, que fit quando maior numerus continet totum minorem et insuper eius duas partes, ut 5 ad 3, 7 ad 5.

<sup>12</sup><S>ecunda species supradicti generis est proportio superbtripartiens, que fit quando maior numerus continet in se totum | minorem in se et insuper eius tres partes, ut sunt 7 ad 4, 11 ad 8, etc.

<sup>13</sup><T>ertia species huius generis supradicti est proportio superbquadrupartientis, que fit quando maior numerus continet totum minorem et insuper eius 4<sup>or</sup> partes, ut sunt novem ad 5, 11 ad 6, et eo modo possunt haberi species eius usque in infinitum etc.

<sup>14</sup><S>uperparticulare genus est quando maior numerus continet minorem in se totum et insuper eius aliquam eius partem aliquotam, cuius species sunt sexquialtera, sexquitercia, sexqui<sup>4ta</sup>, sexqui<sup>5a</sup>, sexqui<sup>6ta</sup>.

<sup>15</sup>Prima species superparticularis generis est proportio sexquialtera, que fit quando maior numerus continet totum minorem in se et insuper eius medianam partem, ut tria ad duo, sex ad 4<sup>or</sup>, novem ad 6, 12 ad octo. <sup>16</sup>Maior enim numerus continet totum minorem et insuper eius medietatem, ut appareat intuenti. <sup>17</sup>Et dicitur a *sexqui*, quod est totum | et altera pars. <sup>18</sup>Que proportio dicitur emilia sub qua proportione diapente consonantia continentur.

<sup>19</sup><S>ecunda species huius est proportio sexqui<sup>3a</sup>, que fit quando maior numerus continet minorem totum in se et insuper eius tertiam partem, ut 4<sup>or</sup> ad 3, 8 ad 6, 12 ad 9. <sup>20</sup>Maior enim

119va

119vb

numerus istorum continet in se minorem totum et insuper eius tertiam partem.<sup>21</sup> Dicitur a *sexqui*, quod est totum et tercia, sc. pars.<sup>22</sup> Que proportio epitria vel epitrita nuncupatur sub qua proportione diateseron consonantia continetur.

<sup>23</sup><T>ercia species est proportio sesxqui<sup>4</sup><sup>a</sup>, quando maior numerus continet minorem in se totum et insuper eius 4<sup>ta</sup> partem ut 5 ad 4, 10 ad 8 etc.

<sup>24</sup>Quarta species est proportio sesqui<sup>5</sup><sup>a</sup>.

<sup>25</sup>Quinta species est proportio sexquisepta.

<sup>26</sup>Sexta species est proportio sexquiseptima.

<sup>27</sup>Septima species est proportio sexqui<sup>8</sup><sup>a</sup>.<sup>28</sup> Que fit quando maior numerus continet totum minorem | in se et insuper eius octavam partem, ut sunt novem ad octo, decem et octo ad sexdecim [de et octo ad decem septem] sub qua proportione est tonus.

<sup>29</sup><M>ultiplex superpartiens genus est quando maior numerus continet totum minorem in se et insuper eius aliquas partes, sc. duas, vel tres, vel *iiii*<sup>or</sup> et habet species suas, sc. duplam superpartientem, duplam supertripartientem.

<sup>30</sup><P>rima species est huius generis dupla superbipartiens, que fit quando maior numerus continet totum minorem in se bis et insuper eius duas partes, ut octo ad tria, 10 ad 4.

<sup>31</sup><S>ecunda species est proportio dupla supertripartiens, que fit quando maior numerus continet totum minorem in se bis et insuper eius tres partes, ut 11 ad 4<sup>or</sup>, tresdecim ad quinque. Aliae species possunt haberi ut dictum est.

120rb

<sup>32</sup><M>ultiplex superparticulare genus est quando maior numerus continet totum minorem in se bis <ter, etc.> et insuper eius aliquam | partem aliquotam.<sup>33</sup> Et habet suas species, sc. duplam sexquialteram, duplam sexquiterciam, triplam sexquialteram, triplam sexquiterciam.

---

<sup>28</sup> decem et octo] decem et septem *cod.*

<sup>34</sup> <P>rima species est huius generis dupla sexquialtera que fit quando maior numerus continet minorem in se totum bis et insuper eius medietatem, ut sunt 5 ad 2, 10 ad 4.

<sup>35</sup> <S>ecunda species est proportio dupla sexquitertia que fit quando maior numerus continet totum minorem in se bis et insuper eius terciam partem ut sunt 7 ad 3.

<sup>36</sup> <T>ercia species huius est proportio tripla sexquialtera que fit quando maior numerus continet minorem totum ter et insuper eius medietatem, ut 7 ad 2.

120va

<sup>37</sup> Et nota quod quando minor numerus precedit maiorem numerum tunc illa species est in genere submultiplici vel subsupernumerari, ut duo ad tria quo est subsexquialtera, unum ad 2, proportio subdupla | <ut> tria ad 4<sup>or</sup> proportio, subsexquitertia, et sic de singulis.

<sup>38</sup> Et hec de proportionibus dicta sufficient studere volentibus.

<sup>39</sup> Explicit tractatus proportionum.

---

<sup>30</sup> 10 ad 4] 14 ad 4 *cod.*

<sup>37</sup> est in genere] est subgenere *cod.*